

05

A

406





149

DISPUTATIO METAPHYSICA
De
Causa Efficiente,

Quam

Sub auspiciis DEI T. O. M.

PRO LOCO

In Amplissima Facultate Philo-
phica ab eo Collegio benevolè sibi concesso
& assignato,

Examinandam publicè proponit

M. GEORGIUS FÖRSTERUS
Marzanensis, Ser. Elect. Sax. Alumnus.

Respondente

M. JOHANNÉ LAURENTI,
Gubenâ Lusato.

In Auditorio Majori

ad d. 16. Januar. horis à 7. Antemerid.

WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL WENZ
ANNO MDCCXL.



Uanquam plura de utilitate speculationis de causa Efficiente, jucūditateq; præmittere possem, impræsentiarum tamen nihil præfaboe hujusmodi, ratus, id quod res est, vino vendibili non opus esse hederâ. Id duntaxat commemorare institui, Efficienti quoque deberi jus civitatis Metaphysicæ, id quod vel hæc, ut aliis supersedeamus nunc quidem, ratio suadere videtur: *quia terminus, quem vocant, transcendens est, creatori pariter & creaturis communis.* Cujus considerationem §. potissimum præceptis principalibus expediri posse commode existimavimus: Quorum primum exhibebit *causæ Efficientis generalem descriptionem* theor. 1. alterum *ejus formalem mentionem* §. 4. tertium *realium distinctionum Explicationem* theor. 2. seqq. quartum *Evolutionem nominalium quoque* theor. 14. quintum & ultimum *axiomatum limitationem.* Sit igitur

THEOREMA I.

Causa efficiens est principium, à quo res est per veram actionem.

Ἐξίγησις.

§ 1. Efficientis vocem hoc loco non sumimus *specialiter* pro causa procreante, quod vocis Etymon insinuare videtur, quo sensu alioquin cum Philosopho inter principium *πρωτικόν* ἡγεσιωνικόν, hoc est, efficiens & conservans distingui solet: sed *generaliter*, ut conservantem quoque, quam efficientem propriè dictam esse, infra probatum ibimus, ambitu suo complectatur. *l. 6. Top. §.*

§. *Principium dicitur:* Est enim de quidditate omnis causæ propriè ita dictæ, (& sic etiam Efficientis) ut ab ea aliquid procedat, quæ ipsa principii definitio est. *Ab aliis causale vocatur,* tum quia influxum ad esse causati importat, hoc est, Effectui esse communicat, tum ut principia excludantur non-causalia, à quibus aliquid est citra ullum verum & causalem influxum.

l. 4. Met. c. 1.

§. 3. *A quo res est*: Quanquam enim non raro ex causa efficiente esse effectus quoque dicitur, quæ voculæ EX ambignitas est, veluti cum Philosophus *prolem ex patre* (ἐκ τῆς πατρὸς) & *matre esse asserit*, frequentior tamen particularum A vel AB use est, non quidem ad significandam promiscuè habitudinem quamvis, sed *influxum effectivum duntaxat*, quo quippiam vel producit vel conservatur.

a tom. 1. disp.

Met. 18. f. 10.

b t. 4. disput.

phil. d. 16. f. 1.

c l. 1. Part.

q. 2. p. 388.

d lib. 1. Met.

cap. 22. a. 2.

§ 53. & c. 3.

Top. p. 57.

e In Epitom.

Met. 63.

f Instit. Met.

l. 2. c. 6.

g Tb. Transc.

disp. 10. p. 647.

h Exerc. E-

pop. 11.

i lib. 5. Met.

q. 5.

k l. 5. M. q. 4.

l. 5. Met. c. 2.

q. 45. 46.

m lib. 5. Met.

c. 2. q. 3.

§. 4. *Per veram actionem*: Actio enim per quam esse datur alteri enti Efficientis audit formalis ratio, cum quia (1.) per hanc potentia causandi in actum deducitur, & quæ nondum actu causa est, per eam talis dici meretur, tum maximè verò quia (2.) *Causa efficiens per actionem ultimè concipitur, & ab aliis causis à priori distinguitur*, ut rectè docent Svarez (a.) Mendoza (b.) Excell. Dn. D. Jacobus Martini (c.) Scheiblerus (d.) Arnisaus (e.) Rutgerius (f.) Perquam Rev. & Clarissimus Dn. Licentiatus Scharfius (g.) Gutkuis (h.) & quicquid fermè Metaphysicorum est. Quæ in Contrarium disputantur à Javello (i.) Soncinate (k.) Timple-ro item (l.) & Fonseca (m) ipse conflictus forsan suppedabit.

§. 5. *Exemplorum cause efficientis ubiq; magna vis occurrit. Sic Deus respectu Creaturarum, parentes ratione liberorum, gallina item respectu pulli dici efficientes merentur.*

THEOREMA II.

Distinctiones cause efficientis complures occurrunt & varia: Quarum primas nos quidem, utilioresq; si possumus, commemorabimus. Primò igitur alia est procreans, quæ dat esse primum effectui: Conservans alia, à qua effectus jam productus in esse conservatur per veram actionem.

Εξήγησις.

§. 1. Distinctiones cause efficientis quædam sunt reales, & propriè ita dictæ, quædam nominales duntaxat, ambiguitatem termini expedientes. De illis prima nostra cura erit, in quibus illustri potissimum est, & memorabilis satis, quam modò adduximus.

§. 2. De qua ut paulò amplius agamus nunc quidem, definitio pro-

157
tio procreantis suadere videtur, quam ut rectius intelligas, obser-
vato opus est, voculam *primum* accipiendam esse non *adverbialiter*,
quasi prioritas ex parte causæ innuatur; Sic enim causæ adju-
vantes & instrumentales excluderentur, quas tamen Efficientes
propriè dictas esse, jure negari à quoquam posse non existimo: *sed*
nominaliter, ut prioritas ex parte effectus intelligatur. Scilicet
non omnis procreans primò agit, sed nonnulla à primo agente
tanquam instrumentum aut adjumentum assumitur; nihilo se-
cius tamen omnis illa, quæ procreantis titulo superbit, confert
esse primum Effectui, hoc est, facit, ut res sit, cum antea non fue-
rit, sive principalis, sive instrumentalis, sive primæ, sive secundæ
vel quocunque tandem nomine veniat.

§. 3. *Exemplorum in omnibus disciplinis magnus apparatus est.*
Sic v. g. Deus, omnis creatura, Sol luminis, & parentes sobolis cau-
se procreantes sunt.

§. 4. Conservantem numero causarum exturbant Timplerus *l. 3. Met. c. 2.*
& Keckermannus, quorum argumenta sumus in ipsa velitatione, *p. 47.*
si data fuerit occasio, dilatari. Illam autem propriè dictam cau-
sam esse, vel hac assertum inusuratio: Cuicunque convenit a-
ctio, cui *κρέρημα* respondet, id est Efficiens. Atqui conservan-
ti convenit actio, cui *κρέρημα* respondet. E. Conservans est
efficiens.

§. 5. Svarez contra (a) & Goclenius (b) conservationem *a Disput. 21.*
materie quoque & forme tribuunt. Minus commodè, quum ju- *Met. f. 3. n. 3.*
xta usitatam significationem influxum externum materiæ & for- *b l. 1. Instit.*
mæ, in quantum tales sunt, haud quaquam convenientem, si *Log. c. 4 p. 61*
gnificet.

§. 6. Id ut capias, advertas velim, conservare h. l. non accipi
(1.) *indirectè*, quo sensu magistratus Rempub. conservare dicitur,
dum nocumenta adversa, cujus modi sunt factiones, seditiones,
hostes, usuræ &c. removet; *sed directè*, quomodo Sol luminis cō-
servator existit spargendo radios continuè, & velut aggeneran-
do idem. *Nec* (2.) *permissivè*, veluti quum mundi conservatio
Deo accepta fertur, quatenus eundem non destruit; *sed positivè*,
ut realem & positivum influxum, qui nil nisi esse semel inchoati
continuatio est, insinuet.

A 3)

§. 7. Hu

§. 7. *Hujusmodi causa conservantes sunt nutrix ratione hominis nutriendi, medicamenta ratione ejusdem in sanitate retinendi, Sol respectu luminis, & DEUS in comparatione ad omnes creaturas, tum materiales, tum immateriales.*

THEOR: III.

Secundò Efficiens est vel Universalis, vel Particularis. Illa accuratè loquendo est, à quâ res omnes in esse dependent: Hæc contra dicitur, à quâ non omnes, sed certæ duntaxat esse suum habent.

Ἐξήγησις.

§. 1. *Causa Universalis est simpliciter talis, à quâ omnes in Universum res productæ esse suum habent, sive accidentia sint, sive substantiæ, sive spiritus (creati), sive corpora: Hujusmodi causa universalis solus DEUS est: alia secundum quid, & in certo genere Universalis, à quâ omnes effectus certi alicujus generis dependent. Talis causa Universalis Sol dicitur, non simpliciter quidem, quum actiones hominum liberæ & immateriales ab ipso non debeant, sed secundum quid duntaxat, quia ad rerum inferiorum productionem ordinariè concurrat, in quem sensum Philosophus ait: Sol & homo generant hominem, item Sol rerum generandarum author est.*

l. 2. phys. c. 26.

§. 2. *Ex quibus manifestum est, Solem respectu DEI causam particularem rectè dici, qui tamen cum rebus inferioribus collatus suo modo agens universale salutari potest.*

§. 3. *E contrario verò agentia particularia sunt omnia inferiora subcelestia corpora, cujusmodi sunt homo, passus, equus, utpote ad certum specie effectum naturalem determinata, quamquam plura individua producere possint, adeoq; causæ communes appellari.*

THEOR: IV.

Tertiò Efficiens est vel primaria à quâ effectus primario: Vel secundaria, à quâ secundariò & minus principaliter in esse dependet.

Ἐξήγησις.

Illā etiam principalis à quibusdam nuncupatur (quanquam ad vitandam ambiguitatem, quā terminus redundat, rectius primariam dixeris, ne secundariam vi oppositionis tritæ cum instrumentali confundere videaris): Hac minus principalis. Sic v. gr. Cohortes strenuè pugnantes causa principalis, seu primaria profligatorum hostium; minus acriter exercitum hostilem invadentes, Secundaria & minus principalis nominantur.

THEOR: V.

Quartò Efficiens vel est principalis, quæ instrumento utitur, ut per illud effectui esse communicet: Vel instrumentalis, quæ agendo inservit causa principali, & ad effectum istius virtute superiorem elevatur.

§. 1. *Theoremati huic Exempla gallinæ & Caloris, Fabri item & mallei, faciem facile præferunt. Etenim ut Gallina & Faber rectè causæ principales audiunt, illa pulli, hic operum fabriliū: ita Calor & malleus instrumentales dicuntur, ille pulli, hic operum productorum.*

§. 2. *Est autem in Instrumento duplex actio, ut rectè observat Thomas, (a.) Cajetanus, (b.) & ex his Fonseca (c.) Una à forma Instrumenti, non ut Instrumentum, sed ut res est, dependet: altera ad quam vi causæ principalis elevatur, verbi causâ: in malleo (1) est actio illa quod naturâ deorsum tendat propter gravitatem, & quod propter duritiem suam minùs dura confringat (2.) est actio à principali impressa, quâ propter impetum agentis confringit quæcunque resistentia. Denominatur verò instrumentum non à priori, sed posteriori actione: Nam si priorem solum habeat, principalis censetur. Unde si malleus per se decidat & virum confringat, non agit hoc ut instrumentum, sed ut principalis est.*

§. 3. *Differt igitur principalis ab instrumentali, non in eo, quod illius ratio formalis consistat in independentia, in dependentia v. huius, nam isthoc sensu omnes causæ aliæ infra Deum instrumē-*

ta fo

a 3. p. q. 6e.
ad secund. &
1. part. q. 45.
art. 5.
b prima part.
te q. 4. 5.
art. 5.
c 1. 5. Met. c. 2
sect. 6. q. 6.

Theor. Trāsc.
disp. 10. p. 655

adisp. 17. sect.

2. num. 16.

b lib. 1. part.

Met. p. 376 &

Exerc. p. 151.

c lib. 2. Met.

p. 223.

d Epit. Met.

p. 69.

e Top. cap. 3.

p. 143.

f l. 1. Syst. c. 15

p. 132.

g Exerc. 297.

f. 3.

cit. loco.

ta forent: *Sed fine* cum primis, verba sunt nominatissimi Philo-
sophi Dn. Licentiati Scharfii, & *modo agendi*. *Fine* quidem, quia
principalis per se ad finem respicit, omniaq; media & actiones di-
rigit: *Instrumentalis* verò per se finem non intendit, sed tantum
quatenus ad illum causa *principalis* invitatur & dirigit. *Modo agen-*
di verò, quia *principalis* agit virtute propria effectu vel nobiliori,
vel æquè nobili: *Instrumentalis* verò virtute causæ *principalis*, à
qua exaltatur ad producendum effectum sua virtute nobiliorem.
Similia habent Svarez (a.) Excell. Dn. D. Jacob. Mart. (b.) Rut-
gerfius (c.) Arnifæus (d.) Scheiblerus (e.) & alii.

§. 4. Dixi verò, quod *Instrumentum* agendo in servire de-
beat causæ *principalis*, ut per illud esse Effectui communicetur.
Actio enim, ut supra probavimus, *Efficientis Causalitas est*, adeoq;
quod non agit, *Efficientis* nomine ornari non potest. Unde à ve-
ritate non nihil abire videntur Keckerman. (f) & Scaliger; (g) hic
deficiendo quodammodo, dum *Instrumentum Activum* numero
causarum eximit, ille verò excedendo, *passivum quoq;*, quod vo-
cat, in *efficientibus* habens, iisq; annumerans.

§. 5. Ad hæc notandum sedulò est, quod *principalis* non ea-
dem sit prorsus, quæ *primaria*, nam & *secundaria principalis* esse
potest, id quod Exempla perpendenti quàm evidentissimum est;
Faber omni dubio procul suorum operum causa est *primaria*:
secundaria socii adjuvantes, quos *instrumentales* tamen minus
commodè dixeris, quum iisdem definitio non conveniat.

§. 6. Ex his jam patet quoque, *instrumentum* peculiare genus
causarum non constituere, velut *Plato* & *Galenus*, referente Sca-
ligerò, opinati sunt. Omne enim quod verè agendo dat esse al-
teri, *Efficientibus* meritò annumeratur, cum hæc sit *formalis Effi-*
cientis ratio. At *instrumentum* propriè dictum ita se habet.
Ergò &c.

THEOR: VI.

Quintò Efficiens est vel Univoca, quæ est ejusdem es-
sentia cum effectu; vel equivoca, quæ est essentia ab effectu
diversa.

Εξήγη-

§. 1. Timplerus (a) divisionem hanc omnibus causis communem facit; Suarez (b) propriam duntaxat causæ secundæ. Uterq; à verò aberrare videtur. *Ille*, quia causa Univoca & Æquivocalis dicitur respectu actionis, quæ non nisi efficientis est. *Hic*, quia divisio hæc ex sententia Philosophorum à prima & secunda abstrahit, atque adeò sine ulla repugnantia, Deo quoque applicari potest.

(a). 3. Met.

c. 2.

(b) Diss. 17

Met. f. 2.

n. 21.

§. 2. Ut autem divisio hæc eo rectiùs intelligatur, operæ pretium est, advertere, quod aliud sit *causa univoca vel æquivoca*; aliud verò *univocè & æquivocè ita dicta*, id quod ex univocorum & æquivocorum descriptione Logica ex facili innotescere poterit.

§. 3. Causæ n. *univocè ita dicta* appellari consueverunt omnes, quibus & nomen & definitio causarum in eodem sensu convenit. Sic universalis & particularis sunt causæ univocè ita dictæ, quia utraq; & rectè dicitur efficiens & definitionem ejusdem admittit.

§. 4. Contra verò *Causam æquivocè sic dictam* nominamus, quæ nomen causæ usurpat tantum modo, definitionem verò ejusdem respuit, quomodo *conditio sine quâ non causa* à quibusdam dici consuevit.

§. 5. Quod verò attinet *Causam Univocam*. Ea non inde nomen accepit, quod ipsi & nomē & definitio efficientis rectè tribuatur, sic enim æquivoca quoque univoca esset, quod absurdum, cum & illa non tantum nomen, sed communem quoque efficientis definitionem admittat: sed utraque ex *diversitate effectus* sibi vendicat nomen. Scilicet si effectus eandem cum causa habeat essentiam, *univoca*, si diversam, *æquivoca* nomen sortitur.

§. 6. *Exempla qui desiderat esse possunt & causa quidem univoca, homo generans hominem, leo leonem, equus equum, ursus ursum: Æquivoca verò DEUS respectu mundi & rerum in ipso existentium, artifex item ratione operum productorum. Ut enim Effectus hinc causis suis in specie sive essentia est dissimilis, ita illic iisdem quàm simillimus.*

THEOR: VII.

Sextò Efficiens vel est prima, quæ habet vim agendi non
B
depen-

*pendentem ad alio; Vel secunda, qua agit virtute ab alio de-
pendente vel communicata.*

Εξήγησις.

§. 1. Illa Solus DEUS est, quippe qui Solus à seipso est ab omni
æternitate: Contra verò quia omne Ens præter DEUM creatum
est & dependens, causæ secundæ erunt intelligentiæ & omnia
corpora, tam Cœlestia quam Inferiora, sive simplicia sint, ut
Elementa, sive ex his mixta atque composita: patetq; adeò cau-
sam primam non simpliciter recurrere cum Universalis. Nam sobrio
sensu juxta mentem Philosophorum Sol quoque causa Universa-
lis est, qui tamen non prima sed secunda est, quum virtute à DEO
per creationem communicata agat.

§. 2. Absolvitur autem independentia primæ causæ, vel *priori-
tate influxus*, qui in hoc consistit, quod secunda non potest ope-
rari, imò nec inchoare actionem nisi prima prius influente or-
dine saltem independentiæ, & principalitatis: *Vel virtute pro-
ducendi effectum se solâ*, & absque alterius causæ concursu. Hoc
pacto DEUS vocatur causa prima in productione caloris, vel quia
prius in eum influit, quàm ignis cui cooperatur; vel quia eundem-
met calorem, quem simul cum igne profert, se solo potest ef-
ficere, non quidem eo concursu, quem, cum igni cooperatur, ex-
hibere solet, sed alio efficaciori, qui ignis influxum suppleat &
compenset.

THEOR: IIX.

*Septimò Causæ Efficientes sunt vel coordinate, quæ
sunt ejusdem ordinis; vel subordinatæ, quæ sunt distincti or-
dinis in causando.*

Εξήγησις.

§. 1. Res per Exempla eunti manifesta erit: *Causa universa-
lis & particularis; v. g. DEUS & intelligentia; Prima & secunda,
ut DEUS & homo; principalis item & instrumentalis, veluti faber
& malleus sunt diversi ordinis*, quia intelligentia & homo à DEO,
malleus à fabro in agendo dependent, & quicquid agunt virtute
communicata præstant. Non injuriâ ergò Causæ subordinatæ
dicuntur. In oppositum verò *bini equi trahentes currum & cohors
militum respectu ejusdem Effectus, causæ coordinate sunt.*

§. 2. Cau-

§. 2. Causæ subordinatæ, vel essentialiter vel accidentaliter tales dicuntur. *Hæc*, definiente *Fonseca*(a) ex sententia Scoti(b) *sunt* qualibet duæ causæ ejusdem generis, quæ ita sunt affectæ inter se, ut altera dependeat aliquo modo ab altera non tamen in causando. Tales sunt filius & pater, licet enim ille dependeat ab hoc in essendo, & quoad fieri, tamen non in operando, potest enim agere pater mortuo. *Illæ* dicuntur quilibet duæ causæ ejusdem generis, quæ ita sunt affectæ, ut altera ex naturâ suâ dependeat ab altera in causando; quomodo omnes causæ secundæ subordinantur DEO, quoniam cum actionibus omnium creaturarum concurrunt. Confer Excell. Dn. Scharffium (c), Rutgersium, (d) Sthaliū, (e) alios.

a) *Met. c. 2. q. 1. s. 2.*
 b) *Sent. dist. 2. q. 2.*
 c) *Theor. Transc. disp. 10. p. 660.*
 d) *Instit. Met. l. 2. c. 4. p. 231.*
 e) *Disp. Phil. 5. reg. 4. §. 5. p. 143.*

§. 3. Ex quibus causarum essentialiter subordinatarum requisita deducuntur tria cum primis. (1.) *Ut dependeant in causando.* (2.) *Sint diversi ordinis, ita ut superior essentialiter sit perfectior.* 3) *Simul necessariò requirantur, ad causandum* sic intelligendo, quod inferior nihil possit producere sine superiore, quanquam hæc sine illa non rarò quicquam causetur.

THEOR. IX.

Octavo Efficiens est vel solitaria & totalis, quæ sola dat esse effectui; vel Socia & partialis, quæ cum aliâ ejusdem ordinis sive coordinata dat esse effectui.

Εξήγησις.

§. 1. Particula exclusiva *Sola* in definitione causæ Solitariae non excludit *subordinatas*; hoc enim sensu solus DEUS causa solitaria dici potest, quippe qui solus infinitâ suâ potentiâ, quodcumque ipsi placet, etiamsi nulla creaturarum operetur, producere potest; veluti solus in principio cœlum & terram & omnia alia creavit, ut Theologi ex sacris ostendunt: sed *coordinatas*.

§. 2. Solitaria igitur causa vocatur, quæ ita dat esse alteri, sive fiat per procreationem, sive per actualem conservationem, ut nullam coordinatam admittat.

§. 3. Ex adverso alia *socia* appellatur non ex concursu alterius superioris, aut inferioris, sed quia præsupposito concursu causæ primæ atq; universalis, aliæ ejusdem ordinis ad eundem effectum sive producendum sive conservandum concurrunt.



§. 4. Hoc pacto causæ sociæ hominis generati non sunt Deus, Sol & parens; hæ enim se habent ut causæ essentialiter subordinatæ, sed pater & mater respectu sobolis, duo boves sub eodem iugo arantes, & quæ sunt id genus alia.

§. 5. Requiritur autem ut aliqua dicantur causæ sociæ, (1.) ut sint distincta supposita (2.) ut habeant distinctam causalitatem & influxum ad produendum, conservandumve effectum.

THEOR. X.

Nonò Efficiens alia per se, alia per accidens est. Sed utraq; ambigè dicitur.

Εξήγησις.

§. 1. Harum descriptiones antequam proferamus in medium impræsentiarum notandum est: Naturam causæ per accidens ex ea formalitate, quâ causæ per se opponitur, æstimandam esse. Non enim sicut homo pictus æquivocè homo dicitur, ad eundem modum & causa per accidens æquivocè talis vocatur, quia causa per accidens non causæ ut sic, sed tali causæ, nimirum per se, opponitur. Unde rectè dixisse existimes Excell. Dn. D. Jacob. Mart. causam de causa per accidens, & causa per se prædicari non ut verum genus univocum, sed ut Analogum per analogiam attributionis.

§. 2. Duo E. ad formalem (seu totalem & plenariam) rationem causæ per accidens spectant: (1.) *Esse causam, hoc est, influere in esse causati.* Nam quæ per accidens fiunt, etiam fiunt. E. etiam causam, hoc est, principium influens habent. Sic qui per accidens pedem vulnerat, securi ligna findere intendens, utique vulverat. E. Influxum suum negare non potest. (2.) *Non quidem necessario, nec datâ operâ influere, sed tamen influere, vel fortuito & contingenter vel remotè, vel aliò simili modo.* Nam in hoc ipso causa per accidens causæ per se opponitur, quod nempè incidenter & citra omnem intentionem effectum aliquem producat: Sic qui per accidens pedem vulnerat, nullam vulverandi pedem intentionem habet.

1. 2. Phys. 6.

3. 1. 32. 33.

1. 2. Phys. 6. 3.

8. 50.

§. 3. Ex mente Aristotelis causa per se est, quæ quâ talis dat esse effectui, hoc est, quando Effectus causæ tribuitur juxta illud attributum, secundum quod eidem verè convenit, ut homo quâ homo, generat:

43

generat hominem, Statuarius quæ talis fingit statuam, Logicus quæ
Logicus facit Syllogismum. Ex opposito verò causa per accidens
est, quando Effectus agenti non juxta illud ipsum attributum,
secundum quod ipsi convenit, sed prorsus aliud ascribitur. Ita
v. g. medico non convenit generare hominem ratione medici, sed ho-
minis, nec Polycleto fingere statuam, quatenus Polycletus vel homo
est, sed quatenus statuarius est.

§. 4. Ex mente aliorum causa per se vocatur, quæ dat esse
effectui intento, sive fiat per procreationem sive per conservatio-
nem, ut si homo generet hominem, medicina conservet aut restituat
sanitatem. Causa per accidens, quæ dat esse effectui non intento,
v. g. si homo monstrum producat, aut medicina causam morbi, quam
depellere debebat, subinde magis magisque augeat.

§. 5. Causa per accidens secundum Aristotelem duplex est.
Fortuna & Casus. Si enim res intelligens voluntariè agens præter
intentionem aliquem effectum assequatur, *fortuna* dici solet: sicuti
contra omnia alia agentia quæ præter intentionem aliquem effe-
ctum producant vel conservant, *casus* appellari consueverunt.

l. 2. Phys. c. 5.
t. 52. C
c. 6. t. 60.

§. 6. Sicuti autem Causa per accidens fortuna est & casus,
ita Causa per se vel naturalis est vel voluntaria: *Naturalis* quæ ex
naturali inclinatione & impetu absq; ulla deliberatione effectum
producit. Sic absq; deliberatione lucet Sol, urit ignis, canis la-
trat. *Voluntaria* est, quæ cum deliberatione & liberè agit, adeo-
que effectum producit vel conservat. Sic DEUS est causa volun-
taria hominis, artifex artificij. Pro inæqualitate autem libertatis
causæ voluntariæ sunt vel merè liberæ, vel liberæ secundum quid:
Ille sunt, quæ pleno appetitu effectum volūt, & ut volunt, ita pro-
ducunt. Sic DEUS liberrimè creavit mundum. He contra, quæ
effectum quidem volunt, sed non sine appetitu tristi. Sic egrotus
committit partem putridam ressecandam chirurgo, ne pars sincera
trahatur.

THEOR. XI.

Decimò Efficiens alia est per emanationem, à qua effectus
est per naturalem resultantiam; Alia per transmutationem,
quæ cum conatu sine naturali resultantia dat esse effectui.

B 3

B 2



§. 1. Ita distinguitur Efficiens *ratione modi agendi*. Nempe quando per naturam rei effectus ab essentia resultat sine conatu antecedente, causa per emanationem dicitur: Contra verò quando vel per naturam rei effectus ab essentia non fluit, vel ab alio interveniente, sive substantia fit, sive accidens, effectus producitur, causa per transmutationem dici solet, quia plerunque etsi non semper subjecti alicujus mutatio fieri solet. Sic v. g. intellectus & visibilitas per naturam & immediatè ex essentia anima rationalis fluunt quasi & emanant. Hæc ergo eorum causa per emanationem esse statuitur. Contra homo generat hominem intercedente conatu & facultate generandi, unde ejus causa per transmutationem dicitur.

Inst. Met. l. 2.
c. 4. p. 235.
Exerc.
Epop. 12.

§. 2. Animadvertendum tamen est, ut rectè monet Rutgersius & ex eo Gutkuis, non quamvis consecutionem Emanationem esse, sed requiri, ut consecutio (1.) sit causalis per propriam efficientiam, & quidem (2.) intrinseca, ut scilicet consequatur rem in naturali statu. Sic calor consequitur ignem, non autem calor in mea manu productus ab igne fit per resistentiam, sed per transmutationem, quia calor iste non est de ratione caloris ignis considerati in statu naturali.

THEOR. XII.

Undecimò *Causa ratione modi agendi & actuum quos exercet, alia est inchoans, ad quam preparans atq; disponens referri debent, adjuvans alia, alia deniq; perficiens, quarum naturam ipsi termini insinuant.*

§. 1. *Inchoans est*, quæ actionem incipit. Cujus species quasi est *disponens*, quæ alterando materiam disponit, aptamq; reddit ad formam recipiendam, Veluti qui ligna exasciant, dolant, lapides cadunt, domus edificanda causa disponentes sunt. Et hujus disponentis causæ, verba sunt Clarissimi Philosophi, Cornelij Martini, ea est conditio, ut eò magis appropinquet ad rationem causæ Efficientis, quantò facit dispositionem magis necessariam ad perfectionem rei, quæ à Causa perficiente illi acquiritur sive inditur.

Metaph.
p. 115.

§. 2. Ad-

158
§. 2. *Adjuvans* est, quæ quidem sola nihil efficit, cooperatur tamen ad principale in effectum. *Talis adjuvans est Calor uteri ad fœtum formandum.*

§. 3. *Perficiens* dicitur, quæ introducendo formam ultimam rei perfectionem largitur; *Uti est Architectus perficiens domum introducendo formam illam domui, ut domus existat.*

THEOR: XIII.

Deniq; Efficiens alia agit immediatione suppositi, quæ non tantum virtute, sed suâ quoq; essentiâ attingit Effectum: Alia immediatione virtutis (tantum), cujus virtus tantum se extendit ad Effectum.

Εξήγησις.

Sic v. g. Deus & virtute & essentiâ presens est omnibus suis operibus, ut Theologi demonstrant: Agit E. immediatione suppositi: Contra verò Sol & stella in his inferioribus varia cum causis secundis subcœlestibus producant opera, cum tantum certum in Cœlo suâ essentiâ attingant spatium, unde immediatione virtutis agere dicuntur.

THEOR: XIV.

Hactenus divisiones causarum propriè dictas exposuimus: Nunc & alias in Scholis Philosophorum receptas adiciemus, quas non incommode nominales dixerimus. Nam primò causa alia est vera, quæ per veram actionem dat esse alteri; quamq; supra definivimus. Alia sine qua non, quæ quidem non dat esse alteri per veram actionem, ad ejus tamen esse vel bene esse velut necessaria conditio requiritur.

Εξήγησις.

Sic dimissio valvarum non illuminat conclave, & tamen illuminari conclave non potest nisi dimissis valvis. Dimissio igitur est causa sine qua non ad illuminationem. Sic propinquitas est causa sine qua non, quia sine ea ignis multa producere nequit.

THEOR: XV.

Secundò Causa Efficiens distingui solet in Physicam & moralem: Illa vocatur, quæ per verum influxum dat esse effectui

effectui: Hac, cui imputatur Effectus, quanquam per veram actionem esse non dederit.

Ἐξίτησις.

Ut rectè intelligatur distinctio, observato opus est causam Physicam, talem non dici (1.) *ratione actionis naturalis*, prout opponitur causæ liberæ; nec (2.) *ratione essentia*, quæ vel in causa vel effectu reperitur, quasi scil. causa Physica dicatur, vel quia est res naturalis, vel quia Effectum naturalem producit. Nam v. g. Homo irritans alium ad patrandum stuprum potest fieri causa moralis sobolis illicitè procreatæ, cum & ipse & Effectus per generationem alterius productus res naturalis sit: *Sed* (3.) *ex modo agendi*, ut definitiones datæ innuunt. *Talis causa Physica est anima movens, ignis comburens. Moralis verò incendiarius accendens aedes*, is enim quanquam non comburit aedes actione propria, quum comburere actio ignis sit, attamen quia ignem applicat, ipsi moraliter imputatur combustio.

THEOR. XVI.

Tertiò Efficiens est vel positiva, que realiter & positivè influit in effectum: Vel privativa, que reali influxu non influit in patiens. Sic cæcitas est causa lapsus, defectus in organo causa claudicationis.

THEOR. XVII.

Quartò Efficiens est vel influens vel impellens. Illa est causa propriè sic dicta, quam in precedentibus vidimus: Hac dicitur, que movet quasi & impellit agens ad agendum. Ita ad calumnias odium mortales, amor habendi ad varia scelera impellit.

Ἐξίτησις.

Impellentem subdividere solent in *ωγενυσμῆτιν*, hoc est, internè moventem & *ωγεναταρηνῆτιν*, hoc est, externè moventem. Sic iracundiæ causa *ωγενυσμῆτιν* est temperamentum cholericum, quod veluti stipula facilè concipit iras, *ωγεναταρηνῆτιν* verò est objectum aliquod externum, veluti convicium vel illata injuria

47

injuria quoque. Sic *αἰσχρονομία* civilis belli inter Romanos fuit in Pompeio ambitio sive cupiditas retinendi summum locum inter cives, quem diu jam possederat. Ambitionem combatantur metus amittendi ejus loci, invidentia, dolor. His commalis artibus incensus tollere æmulum & opprimere conabatur. At *αἰσχρονομία* fuit potentia Julii, & quod multa petebat & faciebat Julius contra voluntatem Pompeij, quæ odium augebāt in animo Pompeij. His facibus accensus exarsit adeò, ut tandem bellum moveret.

AXIOMATA CUM DISTINCTIONIBUS.

1. *Nihil est causa sui ipsius.* Si non negativè, tamen positivè. Hoc est nihil influit in seipsum, ita ut seipsum faciat. Aliàs enim idem simul esset, & non esset. *Esset*, quia haberet naturalem operationem, hoc est productionem, quâ influeret ad esse dandum alteri. *Non esset*, quia adhuc lateret in causa, & esset demum producendum. Sic homo nō est causa sui ipsius, nec canis generat seipsum. Est tamen aliquid, quod non est ab alio, sed à seipso, Deus benedictus in seculo. Hinc responderi potest ad discursum sequentem: Quicquid est à seipso, illud est causa sui ipsius. Deus est à seipso, Ergò &c. Item si accidens distinguatur à suo subjecto, facile cadit Syllogismus sequens: Quicumq; facit seipsum virtuosum & doctum, ille est causa sui ipsius. Homo facit &c. Ergò &c.

2. *Nihil fit sine causa.* Si non interna, tamen externa. Hoc est, quicquid fit à causa efficiente propter certum finem fit. Sic Cœlum fit à Deo propter Deum, calceus fit à sutore propter munitionem pedum. Verùm quoad *causas internas*, scilicet materiam & formam res aliter se habet, ubi multa fiunt, quæ nec causam materiale, nec formalem habent. Hinc argumentari non licet: Nihil fit sine causa. Forma fit. E. non fit sine causa, & per consequens. ut efficientem & finem, ita & materiam habet. Item: Angeli fiunt, scilicet cum creantur. E. non fiunt sine causa. Atqui sic etiam constant ex materia & forma. Sic accidentia fiunt. E. non fiunt sine causa scilicet interna.

3. *Positâ causâ ponitur Effectus.* Si non is, qui dicitur *αἰτία* tamen is, qui vocatur *αἰτία*. h. e. Positâ causâ ponitur effectus

C

qui

Arist. 2. Rhet.
cap. 23.



qui dicitur ἐπέργεια, ἐπέργημα verò non ponitur, nisi positâ causâ sufficiente in actu & non impeditâ. Alii sic efferunt: *Positâ causâ ponitur Effectus.* Si non in agentibus universalibus: tamen in agentibus particularibus. Si non in agentibus voluntariis, tamen in agentibus necessariis. Si non in esse absoluto, sive in actu primo: tamen in esse causalitatis, sive in actu secundo. Hoc est, cum ponitur causa statim etiam ejus effectus ponitur, si scil. *causa sit particularis, naturalis & in actu secundo.* Sic posito Sole ponitur illuminatio; posito igne, ponitur calefactio &c. Ubi verò *causæ sunt universales, vel liberae, vel positæ saltem in esse absoluto,* ibi non statim effectus ponitur. Hinc non sequitur: *Positâ causâ ponitur effectus.* Sed causa mundi, quæ Deus est, ponitur ab æterno. E. mundus est æternus.

4. *Sublatâ causâ tollitur effectus.* Si non is, qui dicitur ἐπέργημα, tamen is, qui dicitur ἐπέργεια. Hoc est. Sublatâ causâ tollitur effectus, qui appellatur ἐπέργεια: ἐπέργημα verò non statim tollitur, nisi per naturalem emanationem à causa sua resultet. Alii ita limitant: *sublatâ causâ tollitur effectus.* Si non quoad esse, tamen quoad fieri. h. e. *sublatâ causâ, nullus effectus ab ea fieri potest,* quia ut effectus fiat, omnes causæ tam remotæ quàm proximæ, tam universales quam particulares sunt necessariae. Sic sublatis omnibus architectis non fit domus. *Sed sublatâ causâ, non statim tollitur effectus quoad esse:* permanet enim sæpè effectus, qui jam factus est, causâ non amplius superstitite. Hinc domus manet architecto jam dudum mortuo: Filius vivit parentibus jam dudum de mortuis. Nam à causis secundis & particularibus pendent effecta in fieri duntaxat, non in facto esse.

Thom. 1. p.
q. 115. a. 1. &
q. 105. a. 1.

5. *Omne procreans procreat sibi simile.* Si non secundum essentiam, saltem secundum continentiam virtuales & bonitatem generalem. Hoc est, similitudo agentis ad effectum est vel secundum speciem, seu esse naturale, quomodo homo generatur ab homine, leo à leone; vel secundum virtuales continentiam, & esse ideale, quomodo homo est similis calceo, quem facit, secundum quod in mente præexistit calceus immaterialis, ad cuius similitudinē efformatur alius.

Conimb. 2.
p. phys. c. 7. q. 15.

6. *Causæ universales determinantur à particularibus:* Si non quæ immediatè agunt & particulares sunt, veluti cum Sol illuminat: tamen

tamen quatenus universales sunt, & mediate agunt, ut cum Sol coo-
peratur homini ad producendum hominem. Sunt n. secundum
se indifferentes ad hunc vel illum effectum producendum, ideoq;
illarum indifferentia determinatione particularium opus habet.

7. *Agentis Principalis & Instrumentalis una est actio.* Si non
adequata, tamen inadæquata. Sic una est actio scribentis & calami
nempe scriptio, quæ inadæquatè dependet ab utroq;. Intelligitur
una illa actio *de unitate* $\delta\pi\omicron\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha\tau$ Θ , ad quod tamen media-
re possunt diversæ actiones utriusq;. Sic operatio scribentis est di-
rigere calamum, & sic per hanc directionem influere in scriptio-
nem: actio autem calami quasi est exequi istam directionem &
proximè pingere literas.

Thom. 3. p.
q. 29. a 2.

8. *Nihil agit ultra suas vires.* Si non *principalis, tamen Instru-*
mentalis. Hæc enim producit effectum se iuperiorem.

9. *Causa minus principalis agit in virtute principalis.* Non hic
sensus est, quasi principalis causet aliquid in instrumētali, sed tan-
tum innuitur, quod talis sit actualis conjunctio activarum causa-
rum, ex quibus sic conjunctis sequitur Effectus.

10. *Quicquid producere potest causa prima cum secunda, id et-*
iam potest sola. Est enim infinitæ virtutis.

11. *Causa secunda non agit nisi mota à prima, hoc est, nisi coo-*
perante prima & dependenter ab ea. Intellige verò de effectū, non
defectu, qui est à sola causa secunda. Axioma hoc exponunt Fon-
seca, & Suarez, qui consuli possunt.

l. 5. Met. c. 2.
q. 9. s. 2.
Disp. 22. s. 2.
n. 47. 48.
Zabarel. de
sen. agente
cap. 5.

12. *A causa secunda effectus solum pendet in fieri.* Hinc red-
ditur causa, cur sublatâ causâ (parentib.) adhuc manere possit ef-
fectus (filius), quia scil. hi non concurrunt ad liberos, nisi in fieri
vel productione.

13. *Causæ solitariae non omnes, sed eantùm sui ordinis causas*
excludit.

14. *Causæ sociæ stant pro unâ.* Copulantur enim in uno cau-
sandi modo.

15. *Agens naturale actionem suspendere nequit.* sc. omnibus ad
agendum requisitis positis.

16. *Causa voluntaria & libera positis omnibus ad agendum re-*
quisitis antecedentibus potest agere & non agere.

Causæ



Conimb. l. 2.
Phys. 6. 7. 9.
14. 4. 1.

17. *Causa universalis agit immediatius quam particularis. Si non immediatione suppositi tamen virtutis. Particularis enim suam agendi virtutem habet à prima.*

18. *Privativum non est causa positivi: Scilicet propriè ita dicta: Nam ut privativum influere nequit.*

19. *Posito effectu necesse est causam esse vel fuisse: quia nihil est à seipso excepto solo DEO.*

20. *Omnis effectus distinguitur realiter à sua causa. Habent enim se ut distincta entia.*

21. *Effectus plus debet causa univ. quam particulari. Ab illa enim non tantum in fieri & esse, ut à causa particulari, sed etiam in operari & conservare dependet, semper enim eget concursu DEI. Alio modo tamen plus debet particulari, quatenus nimirum ab ea denominatur, & specificum nature gradum habet eiq; assimilatur.*

22. *Nihil est in effectu quod non præexistat in causis. Si non formaliter, tamen eminenter; si non subjective, tamen Effectivè: Si non immediatè, tamen mediatè & consequenter; Si non quoad imperfectiones, tamen quoad perfectiones. Hoc est, à quo quid proficiscitur, id illi modo quodam inesse & competere debet sed (1.) non est necessarium; ut illi semper insit formaliter, sed sufficit si adsit eminenter. Hinc non valet: quicquid in creaturis est, illud etiam formaliter in Creatore est. Corporeitas in creaturis est. Ergo etiam formaliter in DEO est. Item in creaturis est sensualitas. Ergo etiam DEUS habet sensum. In creaturis est discursus. E. etiã in DEO est discursus &c. (2.) Non est necessarium, ut illi insit subjective, sed sufficit si ab eo sit effectivè. Unde non sequitur: Sol calefacit. Ergo illi inest calor. Vinum inebriat. E. illi inest inebritas. Cos acuit ferrum. E. illi inest acumen. (3.) Non est necessarium, ut illi insit immediatè, sed sufficit si ab illo sit mediatè & consequenter. Colligendum ergò non est: Sol indurat lutum, ergo illi inest durities. Ignis liquefacit ceram. Ergo ignis est liquidus. (4.) Non est necessarium, ut id quod alicui dat imperfectionem, illam ipsam etiam in se habeat. Hinc malè colligitur: Pater generat filium monoculum, Ergo & ipse est monoculus.*

ברוך יהוה לעולם
אמן ואמן

DS A 406

ULB Halle

3


004 208 552



1017







DISPUTATIO METAPHYSICA
De
Causa Efficiente,

Quam

Sub auspiciis DEI T. O. M.

PRO LOCO

In Amplissima Facultate Philoso-
phica ab eo Collegio benevolè sibi concessa
& assignato,

Examinandam publicè proponit

M. GEORGIUS FÖRSTERUS
Marzanensis, Ser. Elect. Sax. Alumnus.

Respondente

M. JOHANNÉ LAURENTI,
Gubenâ Lusato.

In Auditorio Majori

ad d. 16. Januar. horis à 7. Antemerid.

WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL WENZ

ANNO cl̄o l̄o CXL.

149

